



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Dimissoriae Ad Ordines Ecclesiasticos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

DIMISSORIÆ AD ORDINES
ECCLESIASTICOS.

Dimissoriæ commendatiæ, seu testimoniales Ordinariorum sunt necessariæ ad Ordines ecclesiasticos suscipiendos, ita sac. Conc. sess. 23. cap. 8. in fine, de reform. & si secus fiat, ipse Episcopus ordinans est suspensus per annum à collatione ordinum, & ipse ordinarius est suspensus ab executione susceptorum, quousque videbitur suo Ordinario, Navar. cap. 25. num. 70. notab. 5. c. nullus, de emp. ordin. lib. 6. cap. primatus, 71. dist. Bulla Pii II. quæ incipit, *Ex sacrorum*, ubi etiam ponitur, quod per hoc possit sic ordinarius privari beneficiis, Sylvest. ver. irregularitas, num. 12. in fin. Sor. 4. sent. d. 25. quest. 1. art. 3. Selya tract. de benef. 4. p. quest. 7. num. 8. ver. 3. Diaz. pract. crim. Can. c. 22. ubi etiam dicit, quod idem censeretur, si ante ætatem, vel extra tempora, vel sine titulo. Ex hac conclusione multa oriuntur dubia.

SUMMARIUM.

1. *Quis sit iste Ordinarius, à quo iste ordinandus debeat habere istas literas dimissoriales.*
2. *An hoc decretum etiam locum habeat in ordinibus minoribus.*
3. *An cum sic ordinato possit dispensari ab Episcopo.*
4. *An durante suspensione in illo, qui ante ætatem, postea veniente requisita ætate indigeat dispensatione, si interim non administraverit.*
5. *Quomodo fieri debeant ista litera dimissoriales.*

6. *Quomodo admittuntur, seu deperduntur ista litera, quomodo probari possint Episcopo cui aliquis ordinandus mittitur.*
7. *Quid dandum, sive solvendum sit pro ipsis.*
8. *An vetustiores, vel recentiores debeant esse.*
9. *Quando expirent morte concedentis.*
10. *Quando Ordinarius esset suspensus, excommunicatus, vel interdictus, à quo Clerici debeant habere has literas.*
11. *An pro presentatione dimissorialium Notario Episcopi sit aliquid solvendum, vel Secretario.*

AD Primum, Gloss. in cap. primatus, in ver. obtineat. 71. dist. dicit posse haberi ab Ordinario domicilii, quod potest intelligi duobus modis. Primum, si quis transtulit domicilium ab urbe Romana ad Mediolanum, & ibi moratus fuerit etiam decem annos, quod non videtur posse ordinarium Mediolan. dare istas literas. Ratio est, quia istæ literæ debent esse testimoniales, de probitate morum, sufficientia, & natalibus, quod non posset Mediolanensis Ordinarius facere, & ita memini Illustrissimum, & sanctæ memoriæ Cardinalem Borromæum Archiepiscopum Mediolanens. noluisse dare has literas cuidam Clerico Mediolanensi, qui per aliquot annos moram traxerat Neapoli, nisi prius ab Archiepiscopo Neapolitano habuisset approbationem de ejus probitate. Secundò, si quis à teneris annis transtulerit domicilium aliquò, ibique commoratur esset

esset per multum temporis, & est persona cognita, quòd tunc bene diceret gloss. prædicta. Ratio est; nam magis cognitus est in loco domicilii quàm in loco originis, *cap nullus. de temp. ordin. libro 6.* dicit ab Episcopo originis, domicilii, & beneficii, hic textus quoad domicilium debet intelligi, prout gloss. superior, quoad etiam abnuat gloss. *in d. ca. nullus, in ver. domicilium.* Quo verò ad Episcopum beneficii, non potest stare, si in loco beneficii non fuerit; prout dixi *in intellectu glossæ*, propter eandem rationem: potest enim habere quis beneficium in aliqua diœcesi, ibique commoratum fuisse per aliquod tempus, & Episcopus illius loci ignorare natalia, mores, & alia hujusmodi, etiamsi hoc esset beneficium, ad cuius titulum ille vellet promoveri, quia hoc etiam pertinet ad Ordinarium originis, nisi esset beneficium curatum, vel Canonatus, vel qualificatum, vel requirens residentiam, quia tunc posset, quia est verè subditus ipsi. Dices, Concilium *sess. 23. c. 9.* requirit in familiare triennium, & beneficium; si sufficit beneficium, cur est opus triennio? Respondetur, vel quando beneficium esset tenue, vel quando vellet eum ordinare respectu familiaritatis: sed quando vellet eum ordinare ratione beneficii, requiritur, vel quòd beneficium sit qualificatum, vel quòd sit sufficiens, & tunc statim facta collatione potest eum ordinare absque expectatione triennii: nam in hoc adsunt jura vulgata, & Navar. *conf. 15. 18.* & *aliis de temp. ordin.* docet quòd ratione beneficii possit Episcopus ordinare suum bene-

ficiatum, gloss. *in capit. statutum, in §. cum verò, in verb. unam dictam de rescript. libr 6.* dicit hoc posse ordinarium originis, & domicilii, per textum *in capit. nullus, ubi supra*, quod debet intelligi, prout supra: Sit conclusio, ego cenferem, nullum Ordinarium posse dare has literas, nisi originis, vel domicilii translati à teneris annis, ubi habitasset usque ad tempus promotionis: ad hoc moveor, primò, per *capitulum 5. ead. sess.* ubi dicit, debere publicè in Ecclesia proponi desiderium illius, qui debet promoveri, & parochus post captam informationem diligenter à fide dignis, de natalibus, ætate, & moribus, eum mittere ad Episcopum: sed quomodo hoc poterit fieri in loco domicilii, vel beneficii si ibi fuerit per breve tempus? Rebuff. *ubi supra, fol. decimo octavo, & decimono*, nec obstat primò, quòd quis per decem annos efficiatur civis alicujus loci, *in lege secunda, C. de incol. libro 10.* quia ibi agitur de privilegiis temporalium. Nec secundò obstat *cap. 9. ead. sess.* ubi habetur, Episcopum posse ordinare suum familiarem, si per triennium secum fuerit commoratus, quia debet intelligi, servatis, servandis. i. quòd quamvis hoc posset sine dimissorialibus Episcopi originis illius familiaris, tamen quòd debeat multū bene se informare, & servare ea omnia, quæ continètur *in d. c. 5. juxta illud D. Paul. 1. Timoth. 5. Nemini cuius manus imponas* Rebuff. *tit. de Cler. & à qui. & quom. creent. num. 24.* Secundò, moveor per *c. 13. ead. sess.* ubi dicitur, quòd debeat habere bonum testimonium. Tertio, moveor, per *cap. 8. ibidem,*

T

ubi

ubi dicitur, quod ejus probitas ac mores, Ordinarii sui testimonio commendentur, quod non potest fieri nisi ut supr. Rebuff. *de lu. dimiss. num. 6.* Nec obstat, quod beneficiatus ratione beneficii efficiatur civis, donec ibi teneat beneficium, Boer. *decis. 260. num. 20.* quia hoc valet, quoad alia privilegia, quibus potest uti ut civis. Moveor quarto, per ea quæ dicit Boer. *decis. 13. n. 3.* quod domicilium sui originis non potest quis per mille annos mutare, nec illi renunciare: ergo semper prævalet, quamvis alibi diu habitaverit, vide Innoc. *in c. 1. num. 2. de cler. pereg.* vide omninò Abb. *in cap. fraternitati, num. 2. § 3. de Cler. non resid.* Quintò, verum in Archiepiscopali curia Neapolitani audiui & vidi concedi has literas habentibus tria requisita copulativè. Primum, ut habeant domicilium ibi à multo tempore (quod sufficit per 10. annos, prout dictum est *sup.*) Secundum, ut in aliis actibus declararint, se velle habitare ibi, & non habere animum revertendi ad locum originis inhabitandum. Tertium, ut omnia bona sua, quæ in loco originis habebant, Neapolim transfulerint, vel majorem, vel dimidiam partem illorum, & pro informatione capienda de natalibus, poterunt vocari testes à loco originis, ad locum domicilii, cum ibi sint magis noti, quam in loco originis: & hoc potest stare, cum non repugnet sac. Conc. & sit conforme juribus & doctrinis allegatis. Similiter de dimissoriis pro celebratione Missarum, & aliis Sacramentis administrandis. Sextò, similiter hoc anno 1502. audiui à D. Reverendissimo Episcopo

fuisse concessas dimissorias ad Ordines ecclesiasticos cuidam Hispano, cui solum harum contemplatione prius contulerat quoddam ecclesiasticum beneficium, sed nescio quo jure, nisi per superioris dicta, & Innoc. *in c. ex parte 1. de foro com.* dicit, quod si quis habet magnam partem suorum bonorum alicubi, ibi dicitur habere domicilium. Hoc idem confirmat Caputaq. *dec. 8. p. 2.* & sic dicit fuisse Romæ decisum prima die Julii 1551. facit quod notat Host. *in sum. tu. de temp. ordin. §. 5. à quo, n. 5.* Facit quod notat Navar. quod Regularis ejectus à monasterio, & privatus habitu, tenetur stare sub obedientia Episcopi originis, & assignat rationem; quia domicilium originis est immutabile, *l. assumption. ff. ad municip. Navar. in c. non dictatus, 12. q. 1. n. 34.* & Clarus *in pract. crim. q. 39. ver. quæro nunquid,* dicit, ibi propriè dicens aliquem habere domicilium, ubi habet familiam, & majorem partem bonorum. Præterea idem Navar. *in consi. 2. de temp. ordin.* dicit, quod si quis per quancunque modicam habitationem in aliquo loco habet animum ibi permanendi, potest ad sacros ordines promoveri ab Ordinario illius loci, vel ab alio de licentia ipsius Ordinarii domicilii & idem *consi. 3. & consi. 4. de const.* & licet hæc vera sint, tamen tu consule quæ dicuntur *in 2. par. vers. dimissoria, §. 2. & in 3. p. ver. dimissoria, initio,* ubi habebitur, posse quem promoveri ab Episcopo originis suæ, vel patris, vel de licentia ejusdem Episcopi, & sufficit quod sit oriundus, & non natus, & sic etiam ratione beneficii.

An autem Abb. possint dare has lite-

ras

ras, respondetur quòd non, prout dixi *suprà*, in ver. *Abbat.*

Ad secundum. Videtur quòd sic. Primò, quia par ratio est: nam Conc. loquitur generaliter, in d. c. in ver. *unusquisque autem à proprio Episcopo ordinetur, quid si quis ab alio, &c.* Secundò, quia exercens aliquod attributum certo ordini ecclesiastico, etiam minori, efficitur irregularis, Sylv. in ver. *irregularitas*, num. 15. §. 13. Ang. in ver. *irregularitas*, n. 40. & ibi gl. per multa, Ar. in ver. *irregularitas*, num. 70. sed hoc solùm valet, si id faceret, ut clericus, & promotus in tali ordine, putà acolytus ferens intortitia, urceolos, & candelabra, deserviens Missis, & hujusmodi: secus si attendat aliquod exercibile etiã per laicos, Sot. 4. sent. d. 25. q. 1. art. 2. col. fi. Tabien. in ver. *irregularitas*, n. 4. §. 3. conc. 6. tamen his non obstantibus, conclusio est, talem non esse suspensum. Ratio est: quia Conc. in initio capituli loquitur de ordinibus sacris, ut patet intuenti. Secundò, quia hoc latè notat Navar, c. 25. n. 70. notab. 5. Rebuff. in reg. de Cler. ad sac. ordin. malè promot. gl. 3. sed solùm peccaret mortaliter propter inobedientiam. Ampliatur hoc, etiam si promotus esset ante ætatem requisitam ad illum ordinem minorem, prout dixi in ver. *ordo*. Navar. loc. cit. sed hoc non excusat ordinantem, quin conferendo primam tonsuram, vel minores, absque literis dimissoriis, incurrat pœnam, de qua in cap. fin. de temp. ordin. lib. 6. ita Abbas in capite 3. de parochiis, hoc tamen fallit, si ordinaretur contra prohibitionem ordinantis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quia tunc ef-

let excommunicatus, & irregularis, non quòd excommunicatio tunc pariat irregularitatem, sed quòd delictum suscipiendi tunc ordines, est irregularitas, ut sentit Sot. loco citat. art. 3. col. 7. in ver. in ordinatione. Navar. loc. cit. notab. 6. c. cum illorum, de sent. excomm. & hoc passim solet fieri in ordinationibus prout in pontificali: si verò non fieret ordinatio sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, tunc non esset suspensus, Conc. loc. cit. in ult. Rebuff. loc. cit. Sed bene inspiciatur sacrum Concilium in dicto c. 8. nullam facit distinctionem ordinum sacrorum, & minorum, & sic in omnibus ordinibus currit ead. pœna. Juxta c. fin. de temp. ordin. lib. 6. ubi se fundat sacrum Conc. Trid. & Gem. in c. eod. tit. lib. 6. vers. tertio nota, dicit, quod appellatione sacrorum ordinum, largè comprehenduntur etiam minores, tam in dante, quàm in prima tonsura. Gloss. in c. eos qui, in ver. *ordinaria*, & Gem. ibi, loco citato: sed hoc de prima tonsura, transit cum Canonistis, tenentibus eam esse ordinem, secus verò cum Theologis asserentibus, non esse ordinem, sed dispositionem, cum quibus ego facile sentio, cum simus in pœnalibus, c. odia, de reg. jur. lib. 6.

Ad tertium. Videtur, quòd si utatur eo ordine, solus Papa dispensat, Navar. & Sot. *suprà*, colum. penult. sed hoc non obstante contrarium est verius, quia si occultus, potest Episcopus dispensare, per cap. 6. sess. 24. de reform. Conc. Trid. Selva 4. p. 9. nu. 8. ver. 3. ex Gemin. c. 2. col. 2. de temp. ordin. lib. 6. & text. ibi clarus

& gl. in ver. manifestè, Abb. in c. vel non est compos, de temp. ord. Host. in sum. tit. de temp. ordin. §. & qualitas, num. 34. & tit. de atar. & qual. §. atar, imò etiam si esset publicus stante necessitate, Host. ubi sup. sed Navar. conf. 16. de temp. ordin. dicit, quòd ordinatus absque dimissoriis, si ad presbyteratus ordinem solum recipiens illum, si ad alios sacros, eosque exercens, indiget dispensatione à Datario. Ratio sua est, quia non videtur irregularitas occulta, sed publica; & dat rationem, quam videas *confi. 26. ibid.* quia ex lectura ipsarum dimissorialium patet publicitas: tamen ego censerem oppositum, quòd posset Episcopus, quia publicitas non dicitur, nisi sciatur à multis, & potest esse quòd dimissoriæ ab uno vel duobus sciantur, & sic non pariunt publicitatem.

Ad quartum. Sunt notanda quinque; primum si hoc facit scienter, i. quia sciebat se non habere ætatem, seu literas dimissoriales, vel non possidere patrimonium, & sciebat probationem, i. quòd si susciperet ordines sacros sine his, esset suspensus, & incurreret irregularitatem: dico quòd si non exercuit ordinem, ab Episcopo potest absolvi, & hoc est commune, Navar. *loc. cit.* & Sot. Secundum, si verè exercuit, sed est occultum, Episcopus etiam potest dispensare, & absolvere, quicquid dicat Navar. *ibidem*; ratio, quia c. 6. *bonc. cit.* loquitur de omni irregularitate occulta, & excipit. Tertium, si sciebat, se non habere ætatem, vel alia requisita, sed ignorabat prohibitionem, & postea bona fide, & candida simplicitate exercuit ordinem, existimās

id sibi licere, tamen antequam exercuisset, egerit pœnitentiam de illo peccato, dico quòd tunc non est opus absolute, nec dispensatione, Covar. in Clem. si furiosus, r. p. §. 1. n. 4. c. Apostolica sedis de cler. excomm. minist. Covar. in c. alma mater, §. 7. nu. 9. 1. par. de sent. excom. lib. 7. Navar. cap. 27. n. 156. not. 3. Quartum, si tempore ordinationis ignorabat se non habere requisita prædicta, si non exercuit interim, sed expectavit usque ad ætatem requisitam, dico quòd tunc ea adveniente, non indiget absolute, nec dispensatione, Covar. *loc. cit.* & Navar. nu. 155. nota. 2. Sylv. in ver. irregularitas, n. 15. §. ver. quintum. Ratio est, quia suspensio currit usque ad tempus completum, Sot. *loc. cit. in fin. gl. in Clem. unica, in fine de atar. & qual.* Sylv. in ver. atar, n. 2. Covar. de sponsal. 1. p. c. 6. n. 16. in Clem. in ver. donec, de decim. Navar. *loc. cit.* n. 161. not. 4. Abb. *loc. cit.* imò fortassis per istas doctrinas possit dici idem de eo, qui scienter ordinatus est sine istis requisitis, & non exercuerit ordinem quousque veniret tempus completum, & haberet requisita, & hoc præcisè loquendo: sed si poneretur latæ sententiæ, prout dixi *suprà*, incurreret irregularitatem, Tabien. in ver. suspensio, n. 10. §. 9. Sylv. in verb. irregularitas, n. 4. §. 2. per c. 1. de eo, qui sur ord. suscep. & c. cum illorum, de sent. excom. hoc habet Rebuff. tit. de cler. ad sac. ord. ma. prom. gl. 2. n. 2. ubi dicit, quòd est suspensus ab executione ordinis usque ad ætatem legitimā, c. non est compos, de temp. ord. & c. dilectus, de atate & qual. c. 1. de cler. per salt. prom. Sot. 4. sent. dist. 25. q. 1. art. 2. juxta finē. ponit suspensionē usq; quòd attigerit ætatem legitimam.

legitimã :ergò ea adveniente, nõ est opus absolute, cù id sit regulare in suspensione temporanea. gl. in *Clem. 1. in ver. donec, de decimis*, Navar. in c. 27 nu. 161. Sylv. in *ver. suspensio*, §. 8. cum alius vulgatis, tamen tutius videtur, si petant absolute, antequam ministrent, etiam habita ætate requisita, nam ita respondit sac. Cong. in facto pro Ecclesia Bononiensi, *declarat. 527. in meis*, in hæc verba: *Quoad promotos ante ætatem, visum est posse concedi facultatem domino visitori dispensandi in hac cum huiusmodi promotis, cum ad ætatem legitimam pervenerint, & illos arbitrio suo ad tempus suspendere, licet posset dici, quòd tunc casus erat publicus, ut patet ex lectura dictæ declarationis, & quòd exercuerint ante ætate, quia utitur verbo dispensationis, tu tamen elige tutius, & Navar. in c. novit. de indic. in §. opposit. n. 33. & infra. dicit quòd si quis temerariè suscipit ordines, id est, sciens se illegitimè illos sumere, sed bona fide facta pœnitentia illius malæ susceptionis, putãt sibi licere, ia eis ministraverit, nõ effici irregularẽ, quia irregularitas nõ incurritur sine contrẽptu. Vide Gẽ. in c. ex eo, ver. possit, de elect. lib. 6. ubi dicit recipientem ordinẽ sacrum ante ætatem, suspendi usque ad ætatem legitimam, & habet vocem in Capitulo, idem Zabarella in *Clem. 3. de ætat. & qual.* Quintum, si non sciebat se esse in ætate legitima, vel non haberet requisita, & suscepit ordines bona fide, & habitã scientiã de hoc, exercet ordinem, non est irregularis, sed peccat mortaliter, toties, quoties exercuerit, donec adveniat ætas legitima. Ratio est, quia*

cenfura non retrotrahitur. Navar. c. 17. n. 172. notab. 10. Covar. in c. alma mater, §. 10. num. 6. c. licet, de sent. excom. lib. 6. Secundò, quia nec tunc ille incurrit cenfuram aliquam, quando excusabatur ignorantia probabilis, & cenfura non incurritur sine peccato mortali, c. nullus 11. q. 3. ergo nec irregularis; ergo nec est opus absolute, vel dispensatione; dixi committere peccatum mortale, quia mox sciens prohibitionem de non exercendo ordinem ante ætatem requisitam, facit contra iura, quod debent animadvertere ipsi ordinati, ad auferendum scrupulos, an in ipsa promotione Episcopus ordinator præmittat excommunicationem latæ sententiæ vel comminatoriæ: nam si primum, incurrunt irregularitatem; si alterum, solum peccatum mortale.

Ad quintum. Dico, quòd in litteris dimissoriis ista debent exprimi necessariò, præter alia, quæ solent admisceri, secundum varios Curiarum ritus, diversasque minutas. Primum, ut à quocunque Catholico Episcopo, gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habente ad hoc, nec si Episcopus ordinator hæreticus, vel schismaticus vel præcisus aliqua cenfura, seu pœna ecclesiastica innodatus, vel quòd renunciaverit, cap. ego enim, de iurejur. & per titulos, ut patet apud omnes Scribentes, Navarrus capitulo vigesimo quinto, numero sexagesimonono, notab. tertio, Glossa in cap. cum nullus, in versic. Episcopo, de temp. ord. lib. 6. text. in c. veniens, de prescript. & Gemin. in d. c. cum nullus.

Secundum, ut à quocunque: quia si

diceretur à tali Episcopo singulariter, & ille non posset ordinare, sed faceret tenere ordinationes ab alio Episcopo in sua Cathedrali, vel diœcesi, tunc ille Episcopus non posset ordinare, nisi personas subjectas illi ordinatio, in cujus diœcesi, & de cujus licentia tenet ordinationes, & sic intelligunt *cap. 5. sess. 6. Conc. Trid. de reform. ad hoc, ne contradicat c. 11. sess. 7. de reform.* & sic censuit sac. Congreg. *declar. in meis, num. 2.* & Rebuff. *de lit. dimiss. num. 2.*

Tertium, ut exprimaturs causa quare à suo Episcopo non posset quis promoveri, *sess. 7. cap. de reform.* ut habentibus legitimam causam in litteris exprimentam, Gemin. *in cap. 1. circa initium, de temp. ord. lib. 6. not. 5.* causa verò est ægritudo, ut *in cap. 3. sess. 23. de refor.* & appellatione impedimenti ægritudinis, veniunt omnia iusta & legitima impedimenta. Phil. Franch. *in cap. unico, de Cler. non resid. lib. 6.* Rebuff. *de for. lit. dimiss. num. 28.*

Quartum, ut ponatur ordinandum esse idoneum, & habilem prævio examine repertum, quia secus litteræ non valent, Conc. Trid. *sess. 23. de refor.* ubi dicit subditos suos non aliter quam jam probatos, & examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant, hinc nota, quòd in nonnullis dimissoriis inuenies, suam conscientiam exonerantes, & hoc est superfluum, aliquando suam conscientiam onerantes, & idèd sunt rejiciendæ huiusmodi dimissoriæ, cum sint contra formam Concilii, & licet fiat approbati à suis Ordinariis & dimissoriis, tamen possunt & debent iterum examinari ab

Episcopo ordinante, sac. Conc. Trid. *sess. 7. c. 2. de refor in fine,* ubi loquens de Episcopo ordinante alienos subditos, dicit, *Et diligenti prævio examine,* & hoc oblietvatur ab omnibus doctis & piis Episcopis, licet multi hoc perperam intelligant cum magno detrimento earum conscientiarum, & damnatione ordinatorum.

Quintum, ut ponatur titulus, ad què promovetur, quod potest esse, vel beneficium vel pensio, vel patrimonium in clericis sæcularibus, vel professio in regularibus, Conc. Trident. *sess. 21. cap. 2. de reform.* Abb. *in capitul. non liceat, num. 3. de prabend.*

Sextò, si vicarius generalis veller dare has dimissorias, residente Episcopo in diœcesi, vel Archiepiscopo in provincia, debet exprimere in dimissoriis, se habere dictam auctoritatem specialiter, *c. nullus, de temp. ord. lib. 6.* Rebuff. *in for. vicar. n. 47.* nisi Episcopus esset in remotis, quia tunc posset absque specialiter. Rebuff. *loc. cit. n. 48.* & tunc posset uti his verbis, *juxta auctoritatem seu potestatem nobis desuper specialiter concessam.* text. Gl. & etiam Gemin. *in d. c. cum nullus.*

Septimè nota, quèd solùm in dimissoriis ad ordines Subdiaconatus, est necessariò exprimentus titulus ad quem ille promoveri desiderat, non in Diaconatus & Presbyteratus dimissoriis; ita in Pontificali, ubi quando vocantur Subdiaconi, solùm ponitur titulus ad quem, facit quod dixi *inferius in ver. designato, §. 3. dnb. 3. Et in ver. clericus, nu. 7. conc. 7. & Bul. Pii V. quæ est. 11. fol. 99. & Host. in summa, tu. de rescript. num. 24. juxta finem.*

finem. Et si dicas, de stylo Curia Romanæ, ponitur etiam titulus in Diaconatu & Presbyteratu, ut apparet in Bullis, quas vidi impetrari à quibusdam, ut possint promoveri, vel extra tempora, vel non servatis interstitiis, ex favore devotionis, ut ajunt; Respondetur primo, quòd si Papa dat dictas Bullas ad omnes tres ordines sacros, explicat titulum in primo ordine facto, nempe Subdiaconatu, præsupponens illum non posse renunciari ab ordinato per Decretum sacri Concilii Tridentini, ob Bullam Pii V. sed si dat Bullas solùm ad Diaconatum, vel Presbyteratum, simul explicat titulum, quia fortassis summus Pontifex dubitat illum habere titulum, vel si habebat, forsitan illum dimisisset, & ideo hoc explicat, vel quòd sit sufficiens, id verò quod nos dicimus, intelligitur, quãdo quis promovetur à suo Ordinario, qui jam scit illum habere titulum, tunc enim sufficit illum adnotare in subdiaconatu.

Hic est primum dubium, in nonnullis religionibus reperiuntur pauca, vel nulla beneficia, vel pensiones, ad quarum titulum possent promoveri clerici, & aded pauperes carentes patrimonio, an isti possint promoveri ad titulum Ecclesiasticarum receptivarum, & videtur, quòd non, per *d. c. allegatum, ubi sup.* ubi in secularibus clericis solum beneficium, vel pensio, vel patrimonium, & in Regularibus professio deberet esse pro titulo, nonnulli dicunt, ad titulum paupertatis, urget etiam Bulla Pii V. tamen conclusio est, posse ordinari istos ad titulum Ecclesiæ receptivæ, habetur ex c.

neminem, 70. dist. & ibi gl. & Conc. Trid. loc. cit. cap. 16. de reform. ubi dicitur: *Inhabendo decreto Conc. Calcedonens. nullus in posterum ordinetur, quòd illi Ecclesia, vel pio loco, pro cuius necessitate, aut utilitate assumitur, non ascribatur, ubi suis fugatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus, & infra, & quæ dicantur Ecclesiæ receptivæ, vide sess. 23. c. 8. de refor. præterea adest practica, quia sic vidi practitari, quia sic vidi practitari, & practica vi etiam dum essem Vicarius, vide Panor. in c. postulasti, n. 2. & 3. de jure patron.*

Secundum dubium est, aliquis Clericus, qui vult promoveri ad sac. ordines, non habens sufficiens patrimonium, nec portio sibi contingens ab Ecclesia sufficit, sed utraque juncta simul sufficerent, an possit ad hunc titulum clericus ille promoveri? & videbatur quòd non, quia Conc. sess. 21. c. 2. de refor. dicit, quòd beneficium ecclesiasticum debeat sufficere honestè ad victum, & patrimonium; ubi pensionem debere esse satis ad vitam sustentandam, tamen hoc non obstante, contrarium est verius. Ratio, quia intentio Concilii est, ut Clericus sit promotus, habeat sufficientem victum ad hoc, ne cogatur cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum quæstum aliquem exercere, cap. Diaconi, in ver. nunc autem. 93. dist. & in c. Episcopus, & ibi gl. in ver. subsidium, & c. tuis, & ibi gl. in ver. patrimonialibus, de præb. facit quòd in d. cap. 2. dicitur, quòd ille, qui est promotus ad titulum beneficii, non potest illi resignare, nisi constituto, quòd aliunde vivere commodè possit, ergo attenditur commoditas vivendi. & non tantum unitas

unitas tituli : accedit quòd si in aliqua terra, vel oppido esset paupercola Ecclesia, non habens sufficientem portionem pro titulo, & clericus habere non adeò sufficiens patrimonium, quòd non possit promoveri, & sic plebs remaneret sine Sacerdote, & Ecclesia sine ministro, quòd non est dicendum, Facit *c. Clericus victum*, 91. *distin.* ubi permittitur clericum exercere aliquod artificiolū sine detrimento officii sui, quòd est D. Hier. in *lib. de seq. ord. Ecc. capitulo quinto*. Facit quòd duo vincula magis ligant, & quòd duo insufficientia faciunt unum sufficiens, & quòd Conc. requirit titulum compactum ex duobus, & medium, ut habetur ex Philosoph. *quinto physic.* sapit naturam extremorum, & medium est sua extrema. facit quòd notat Tiraquel. *de utroque tract. iur. primo*, §. 30. *glos. 3. n. 30.* Item. *in rebus, quæ sint regalia, num. 1.* sed petet quis, ad quem tit. istum promovendum fore ponetur in dimissoriis? Dico ad tit. Ecclesiæ, *argum. cap. unico, de iure patron. lib. 6.* ubi dignus trahit ad se minùs dignum, Selva 3. *par. qua. 11. n. 17.* & *num. 18.* Staph. *de lit. grat. fol. 94. num. 3.* Gimont. *de expectat. fol. 395. n. 18.* & *c. per tuas, de arbit.*

Tertium dubium, agendum, quando nec clericus habet patrimonium, nec adest portio beneficii, seu Ecclesiæ recepturæ? Respondetur primò, quòd non esset ordinandus per jura superiùs allegata, & Doctor. Dices, ergo populi stabunt sine Sacerdote? Respondetur, quòd tunc temporis erit practicanda doctrina, Concil. *sess. 24. capit. decimotertio, in ver. in parochialibus, de reformat.* ubi di-

cutur, quòd per primitiarum, vel decimarum assignationes, aut per parochianorum symbola ac collectas, aut aliqua commodiori, quæ Episcopo videbitur, ratione, tantum redigatur, quòd pro Rectoris, aut parochi dicto decernitur, sufficiat, quòd jure divino, & naturali, nedum humano fieri potest, & debet, Covar. *libro primo variarum resolutio. cap. 17. num. 3.* D. Thom. 2. 2. *quæst. 87. art. 1. & 7. in corpore*, & ad primum Turcrem. *in c. omnis Christianus, de consecrat. distin. prima, & ibi gl. in ver. vacuus*, Selva *loc. cit. prima par. q. 5. nu. 168.* idem statuit de reparatione Ecclesiæ sacr. Conc. Trid. *sess. 21. cap. 7. de refor. & c. 1. de Eccles. edific.*

Quartum dubium, de quantitate patrimonii ad cuius titulum quis possit promoveri? Respondetur primò, juxta qualitatem personarum, *argumento cap. de multa, de prob.* Secundò, quòd alibi 36. ducatorum de regno, & sic vidi praticari in tribus Archiepiscopatibus; pro quo faciunt quæ dixi *in ver. beneficium, §. 8. concl. 8.* Tertio, quòd non potest dari certa regula, quia hoc arbitrio Ordinarii committitur: nam alibi 24. alibi 18. ducatorum vidi assignari. Sed clario-ri praxi accessit nuper declaratio sacr. Congreg. qua fertur ipsum censuisse, sufficere viginti quinque ducatos de regno, pro titulo ad sacros ordines, prout audiui fuisse rescriptum ab Illustrissimo Cardinali Montis Elpari ordinis Eremitarum Sancti Augustini ad Reverendissimum Archiepiscopum Amalphitanum, anno elapso 1599. quòd mea quidem sententia potest intelligi, in infima con-

consideratione: nam in hoc casu etiam debet dari sua latitudo, seu sphaera activitatis, prout dixi in *ver. pretium*, & facit dictum caput. de multa, de prebend.

Ad Sextum. Quia multoties deperduntur dimissoriæ, vel Bullæ, quid agendum? Respondetur quod de Bullis vide in *ver. Bulla*, ubi dicitur, quod per alia argumenta, per indicia, & testes possint probari, c. 2. & 3. de Cler. pere. gl. in c. nullus. 98. dist. Guid. Pap. q. 445. & 479. De dimissoriis verò dicerem quod non ita facillè testibus credendum esset: ratio diversitatis est: quia multa facta tenent, &c. & turpiùs ejicitur quàm non admittitur hospes, maximè, quando sumus in terris vicinis, ut in Italia, quia possunt mittere ad suum Ordinarium, ut alias habeat; si verò essent alienigenæ magis verendum, c. Aphros, de Cler. pereg. si esset persona, quæ probaret testibus idoneis de tenore dimissorialium, puta de idoneitate, probitate, titulo, & aliis requisitis, & fortassis expiraret in illa ordinatione annus, c. licet Canon. de ele. lib. 6. vel aliqua alia urgens necessitas, quod tunc stante hac probatione, sufficienter posset promoveri, per jura superiùs allegata, & per rationem glossæ in d. c. nullus, quod magis credendum est voci vivæ, quàm mortuæ, gloss. in c. testes 4. qu. 2. c. cum Joannes, in versi. porrò, & ibi gloss. in ver. quodlibet instrumentum, de fide instrum. Cov. pract. qu. c. 20. n. 6. conclusio prima, decis. Rot. 5. de offi. ordin. in novis. vide Sylv. in ver. peregrinus, in fine, c. cum olim, de privil. quamvis ad tex. c. licet Canon, possit dici, quod omissis dimissorialibus sine dolo, vel malitia, tunc non

curreret tempus, tanquam legitimè impedito, c. commissa, in 2. responsò, & in d. c. licet Canon, in versi. privatis, circa ultimum. Rebuff. in for. lit. pri. cons. num. 23.

Ad Septimum. Nec pro litteris dimissoriis aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque causa, etiam spontè oblatum, Episcopi & alii locorum Ordinarii collatores, aut eorum ministri, quovis prætextu aliquid accipiant. Notarii verò in his tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus, decimam partem unius aurei tantum accipere possunt, dummodo eis nullum salarium sit constitutum, pro officio exercendo, prout in Con. Trid. sess. 21. c. 1. de refor. ex quibus elicio hæc; Primum, quod quando in dimissorialibus datur facultas ad quatuor minores, quia singulæ faciunt unum, non potest accipi, nisi decima pars, & non quatuor partes, quia attenditur singularitas literarum, & non pluralitas ordinum, & attenditur qualitas laborum & non ordinis, Sylvest. in ver. simonia, numero 8. §. 8. ver. quintum, Secundum, secus quando pro pluribus ordinandis in unis litteris dimissorialibus scriberetur; ratio est, quia tunc plures sigillatim conferuntur, & sic vidi praticari. Tertium, quia juxta quarundam diocesium optimam consuetudinem, quando quis promoveri vult ad sacros ordines, fuit ab Ordinario litteræ commissoriales parochi de informatione capienda, prout in c. 5. sess. 25. de refor. dico quod pro istis litteris commissorialibus potest capi decima

dimissorialibus altera decima pars. hæc patent, quia Conc. d. c. 1. loquitur de singulis dimissoriis & testimonialibus, præsupposito quod dimissoriæ sint necessariæ, si ille Ordinarius ad alium Episcopum suum ordinandum mittat. Quartò, quod decima pars unius aurei debet æstimari secundum locorum diversos utendi modos computandi pecuniam, ut in regno Neapol. unus carlenus, qui est decima pars unius ducati, & non more Romano, ut sit scutum de Camera, vel auri in auro, hæc patent, quia Conc. Oecumenicum est, i. universale, & non coarctatur consuetudini unius loci. Facit ad hoc reg. Cancell. *de exprimendo valore beneficiorum.* & ibi Gemin. *in præfat.* ubi Romanus Pontifex se accommodat monetæ, & pecuniæ valoribus diversarum regionum. Facit quod notat Navar. *tract. de numism.* §. 1. & 2. c. *qui subdiaconum*, 17. q. 4. & c. *conquerente, de offic. ordin.* hoc dixerim pro nonnullis locorum Ordinariis, quia nimium ad amissum hoc intelligentes aureum taxatum, sed nominatum ad sac. Conc. pro tredecim carlenis de regno esse computandum, & pro rata tantum faciunt solvere contra intentionem Concilii, & bonarum diocesium ritum & usum, & quod dixi de dimissoriis, idem de Bullis, quia istæ dicuntur testimoniales, Sylv. *in ver. peregrinus in fin.* & Hostien. *in sum. iii. de offic. ordin.* §. *sunt autem quadam*, dicit quod tam in quantitate quam in qualitate pecuniæ est inspicienda consuetudo regionis, c. *nec numerus*, 10. q. 3. & sac. Congreg. pro auro intelligit daturum, ita *in declarat.* 519. ubi dicit hæc

verba: *Notarii pro examine testium, quartam partem aurei seu ducati licet, accipere possint: ubi loquitur pro examine testium in disputationibus matrimonialibus.* Quintum, quod si quis dat aliquid plus, incidit in simoniam, & non recipit ordinis executionem, c. 1. *de simonia, ca. si quis Episcopus*, cap. *placuit*, 1. q. 1. & ipse sic ordinatus esset excommunicatus excommunicatione Papali per *Extravag. Pauli II. que incipit, Cum detestabilis, in tit. de simon.* Navar. cap. 23. notab. 4. 5. & 6. cap. 25. n. 69. notab. 2. Sylvest. *in ver. simonia, quest.* 19. & *in ver. suspensio, num.* 7. D. Thom. 22. *quest.* 100. art. 6. *ad primum argumentum*, & in hoc [an] advertant ordinandi, quia vice accipiendi ordines, accipiunt Papalem excommunicationem.

Ad octavum. Illustrissimus & Reverendissimus sanctæ memoriæ Carolus Borromæus, Archiepiscopus Mediolanens. *in edicto de sacra ordinatione, in §. afferent*, dicit, quod non debent esse vetustiores duobus vel tribus mensibus à die sacre ultimæ ordinationis computandis, nisi ob absentiam superioris: ratio est, quia si superior esset præsens, & ille haberet dimissorias veteres, ut supra, potest interim esse illum incidisse in aliquam censuram, vel aliquod canonicum impedimentum, & sic esse inhabilem ad ordinem suscipiendum; si verò superior abesset, vel ipse ordinarius esset à longis regionibus, potest accidere, & probabiliter credi, ecurrisse tantum temporis curriculum absque aliquo defectu, facit quod notat Navar. *cons. unico, de cler. peregr.*

Ad

Ad nonum. Ista littera expirat morte concedentis, Rebuff. loco citato numero 39. 40. & 41. si scivit ipse ordinandus mortem concedentis, secus excusaret ignorantia, modò sit probabilis, num. 43. & 44. dicit quòd non expirat, quòd satis notandum: potest facere pro hoc, cap. gratum & cap. licet, de offic. deleg. ubi habetur, quòd gratia morte concedentis non expirat, secus verò in odiosis, cuiusmodi non sunt ista littera dimissoriales, potest circa hoc facere difficultatem cap. presenti, de offi. leg. lib. 6. & quòd dicit Dyn. cap. primo, in fin. de reg. jur. lib. 6. tu tamen cogita, quia videtur esse ratio diversitatis. Hoc clarè tenet Navar. in c. placuit, n. 34. de pœn. dist. 6. ex Cardinali, in Clem. fin. de ele. 9. 5. & idem Nav. ibidem, num. 162. ubi affert multa concessa non expirare morte concedentis, ut licentiam de confitendo, de studendo, ob non residentiam, de indulgentiis, de confessoribus approbatis, de conferendis beneficiis, & aliis, & de Missa celebranda in domo privata. & not. 31. n. 26. & idem de gratiis concessis non solùm à Prælatiis mortuis, sed etiam de translatis, con. 3. de rescr. de non residendo, consi. 15. de cler. resid. nec littera salvi conductus, sicut nec superiùs dicta expirat morte concedentis, Gemina. in capitulo, quia per ambiciosa, notab. ult. de rescript. lib. 6.

Ad decimum. Si Episcopus originis, vel domicilii, prout supra, fuerit irretitus aliqua censura publica, non potest dare has litteras dimissorias, nec ejus Vicarius. Primum probatur per capit. secundum, de tempor. ordinat. libro sexto & Rebuff. pract. benef. de for. lit. dimiss. n. 19.

Secundum probatur per ea, quia dixi in ver. Vicarius, §. 8. Summa Sacram. pract. de excommunic. n. 17. secus verò si fuerit occultè præcisus, quia tunc posset exercere jurisdictionem, & consequenter dare has litteras, dicto cap. secundo, & gloss. in ver. manifestè, Innoc. in c. exceptionem, de except. num. 1. & in c. ex tua, de cler. non resident. n. 6. & intellige de præciso juxta formam Con. Constantiens. & Bullam Martini V. prout dicam in ver. excommunicatio in causa formali, §. quibus casibus, & in gloss. in c. cum dilectus, in ver. suspensis, de consuetud. Sylv. in ver. excommunicatio, 3. §. 10. & 11. vide Abb. in cap. 2. num. 6. ut lit. pendet. Dices, ad quem ibunt clerici pro dimissoriis impetrandis, durante dicta suspensione, vel aliquo canonico impedimento sui Prælati? Respondetur quòd non ad Metropolitanum, quia in eos non habet jurisdictionem, nisi in causa appellationis, in cap. pastoralis, & ibi gloss. de offic. ord. sed dico, quòd possent promoveri sine litteris dimissoriis sui Episcopi à vicinioribus Episcopis, prout in d. c. 2. & Rebuff. loc. cit. Nec videtur ob stare c. 3. sess. 23. Conc. Trid. ubi habetur, unumquemque à suo Episcopo debere ordinari, quia intelligi potest, habilibus stantibus terminis.

Ad undecimum. Respondetur quòd non primum, quia Concilium solùm loquitur de expeditione, & non de præsentatione, quòd non licet alterare; secundo, quia isti non sunt libelli, vel actus judiciales, & sic vidi practicari Neapoli, ita alibi, & ipse practicavi in duobus Archiepiscopatibus.